



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 7. Philippus II. in Lusitaniæ regno suffectus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.

§. VII.

A.C. 1579.

Philippus II. in Lusitanice regno sus-  
fectus.

Th. l. 69.

Spond. n. 17.

Postquam defuncto Sebastiano Rege Henricus Cardinalis, ut memoravimus, Polonici Regni possessionem acceperat, mox Ulyssipone comitia habebat, quibus ipsemet vestibis suæ dignitati congruis ornatus, sceptrumque dextera rotans intererat, ejusque latus stipabant Bragantiæ Dux, aliique quamplurimi. Postea illorum, qui ad hoc regnum adspirabant, Deputatos satis tranquille excipiebat, nihil tamen de successione decerni volens unice regni competitoribus injungebat, ut vel ipsimet, vel eorum Legati suas rationes denuo exposituri coram adessent. Interea Rex petebat, ut Ordines nomina quindecim Virorum, qui meritis, rerumque experientia illustres erant, ipsi proponerent, quatenus ex illis quinque pro administrando regno nominaret, ita tamen, ut horum electio secreta haberetur, eorumque nomina in capsam Ulyssiponensis Magistratus custodiæ tradendam conjicerentur: præterea rursus nominati fuere viginti duo alii, ex quibus Rex undecim delegit, qui tunc, si Regem ante litem de regni successione

ne



ne terminatam mori contingeret, cum Sæcul. XVI.  
A.C 1579.  
plena potestate eam dijudicarent.

Porro præfixa die Oratores illorum, qui ad regnum adspirabant, comparebant, ac eorum quisque sui Principis jura firmare nitebatur: at Henricum Leo Henriquez Jesuita, qui ei a confessionibus erat, eo inclinabat, ut Philippum II. Hispaniæ Regem nominaret, cum hic præ reliquis certius jus habere videretur: igitur hanc in rem mox Henricum inter, & Philippum pacta conduntur, paulo post Madritum transmissa: quamprimum vero Pontifex de his notitiam hauserat, quantocius Hispaniæ Regem sollicitabat, ut ipsum in litis arbitrum seligeret, cum hac in occasione diffidia abs dubio exoritura prævideret: verum Philippus, qui longe alii agebatur consiliis juris sui æquitate, ac certitudine tutus hæc Pape indicavit: „haud est, cur Sanctitas sua suas vel arbitri, vel conciliatoris partes interponat: ceterum pro tam egregia voluntate gratias ago, neque recusabo, quominus tunc, si quid improvise incideret, ubi tanto vindice indigerem, auxilium Sanctitatis suæ implorarem, nam illius arbitrium acceptare paratus sum.“